

nimum irrependi, eandemque occulte subjugandi, oportunitas præbeatur; ne attentionem ad latente, hostes, (h. e. ideas nostras clariores reddendas) conferre acerriam, negligamus; ne vis earum in animi scrutandis propensionibus, præjudiciis mutationibusque, ac iis emendandi ratione ineunda ac persequenda, obliviscamur: & quæ hujus generis sunt plura.

Corrigenda:

P. 2, not. (a) lin. ult. I D. II, leg. I und II. P. 3, not. (b) l. 2. vocamus l. vocamus. P. 5, not. (a) l. 2, d. Tverdon, leg. d' Tverdon, ib. conscience leg. Conscience. P. 7. l. 2, consentaneum leg. consentaneam. Not. (d), l. 4, Widerspruch & dänfle leg. Widerspruch & dänfle; lin. 9, immerlichen leg. innerlichen; lin. 12, dennach leg. dennoch; lin. 13, Einfluß leg. Einfluss; lin. 15, loco (:) ponatur (,).

ANIMADVERSIONES

DE

USU MYTHOLOGIÆ
HODIERNO;

QUARUM

PARTEM PRIOREM,

CONS. AMPL. FAC. PHIL. IN REG. ACAD. ABOËNSI,

PRÆSIDE

*M. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,*

ELOQUENT. PROF. REG. ET ORD. R. ACAD. LITT. HUM.
HIST. ET ANTIQUIT. MEMBRO,

PUBLICÆ EXAMINANDAM SISTIT

JACOBUS LINDEBÄCK,

OSTROBOTNIENSIS,

IN AUDITORIO MAJ. Die XXII APRILIS
AN. MDCCLXXXIX,

H. A. M. S.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.



§. I.

De justo Mythologiæ usu antequam disputare queamus, pauca de origine & fontibus ejus in antecessum monere, necesse ducimus. In multas & varias viri eruditi, hanc texendam aggressi telam, abiecerunt sententias; quas ne enumerandas quidem, minus dijudicandas, hoc loco nobis sumimus. Sic solis & Patriarcharum facta, quidam *Theologi*; Ægyptiorum, Assyriorum, Phœnicum ac Græcorum historiam, rerum gestarum *investigatores*; morum exempla, *Philosophi*; naturæ phænomena & arcana, *Physici*; regulas & præcepta bene gerendæ reipublicæ, *Politici*; fundamenta nugarum suarum, *Alchemistæ*: & pauca me expediam, omnium fere disciplinarum & artium vestigia, in Mythologia invenire conati sunt, qui origines ejus descripserunt (a).

A

Ortus

(a) Cui pluribus adhuc e fontibus fabulas Mythologicas derivatas spectare lubet, adeat BANIERIUM in opere Mythologico, cujus versione nos utimur Germanica, (*Erläuterung der Götterlehre und Fabeln aus der Geschichte; aus dem Französischen übersetzt von Joh. Adolph. Schlegeln, Lipsia 1756*), Buch 1, Cap. 1. Art. 1, 2, p. 6: 33, seqq.

Ortus autem fabularum Mythologicarum verissimus atque simplicissimus, ex ipsa hominum indole atque conditione prisca, repetendus videtur. Ipse namque loquendi mos mortalibus antiquissimis proprius, tropicis verbis, phrasibusque figuratis inprimis indulgens, partim ex inopia linguarum vetustissimarum, partim ex ingenio rudi, omnia non alio quam sensuali modo exprimere valente, natus (b), hæc non potuit non progignere & alere cogitationum atque sententiarum exprimendarum involucria.

Cum-

(b) Utebantur nempe prisca sermone, natura sua ad poëticam rationem accedente: quæ, res præcipue ad sensum ductum exprimens, naturas rerum, earum proprietates, vices, utilitates, imaginibus ex rebus in sensu maxime incurrentibus desumptis, adumbraret; quibus omnibus Poëtica vis vel maxime inest. Argumento esse hodieque possunt linguæ nationum barbararum: quibus, res agens fere quævis ut *persona*, mutatio quævis ut *actio personæ* alicujus, representatur, ac per similitudines hinc petitas exprimitur. Sic v. c. *Abipones* in America meridionali, pro annis designandis nominant *flores Ceratoriae* (C. Siliquæ Linn.), & *capitis dolorem* significaturi, *caput suum irasci* dicunt; quo more quæ magis poëtica adhiberi oratio potest? Cfr. Görting. Anzeigen von gelehrten Sachen. 1785, St. 4. s. 55. Neque etiam parum ad hunc loquendi morem gignendum, adeoque allegorias & *μυθας* pariendos, attulit linguæ inopia: uti nempe sæpe necesse habebant iisdem signis vocabulisque ad diversas res & actiones significandas; unde varias & figuratas, nacta sunt significationes. Da her entstehen die mannigfaltigen Redensarten in den philosophisch noch nicht bearbeiteten Sprachen, worin alles, beson-

Cumque ejusmodi sensualis loquendi ratio, simul & facilius intelligatur, & ad hominum rudium tenendos movendosque animos vehementius valeat, magnamque delectationem pariat; quis non videat, cur Poëtæ, qui placere semper studuerunt, eam maxime adoptaverint, nulloque non tempore allegorias sectari, ingeniosam falsitatem veritati sic admiscere, huicque novam inde vim comparare, annisi sint?

Adjunxit se huic rationi cognata alia, ex prisca mortalium conditione illa quoque orta: nempe quod causarum (quas vocant) *secundarum* atque *mediarum* series perspicere parum valentes, causæ supremæ effectus quoscunque insolitos, insigniores & mirabiliores, immediate adscribere amarent. Itaque ubi quid extraordinarii iis obvenit, aut vehementer eos affecit; hoc operationem Dei, aut alias supernaturalem fuisse, mox crediderunt. Recte omnino vir doctus: Die Alten ließen sich, besonders bey außerordentlichen Dingen, nicht auf Mittelursachen ein, sondern leiteten alles gerade von der letztern Ursache, Gott her. Das war Leuten natürlich, die über die vorkommende Dinge nicht philosophisch grubelten. Apud EICHORN l. c. Th. VII. p. 99. Itaque omnia, quæ aut terrore aut admiratione, aut quo-

A 2

cunque

ders das außerordentliche unmittelbar von Gott hergeleitet wird. LEONHARD JOH. CAR. JUSTI in meletemate über Simsons Stärke, (quod inseruit Celeb. EICHORN Repert. für Biblische und Morgenländische Litteratur, VII, Theil.) p. 99.

cunque vehementiore affectu, mentem impellerent, a suo quæque Deo profecta putabantur, tandemque per consuetam Metonymiam, ipsi affectus ipsæque causæ quæcunque mediæ Deorum nomine appellatæ sunt (c). Itaque *Amor Deus, Sapientia Dea, Bellum Deus, Ventus Deus, &c.* habitus dictique fuerunt. Inprimis vates, qui Enthusiasmo poetico acti, audacius huic rationi indulgebant, plures sic divinitates creantur (d). Qui ipsi etiam, facultate admirabili non minus

(c) Deorum itaque & Dearum ministeriis & immediato interventu omnia peragebantur: quoniam prisca hominibus hoc erat persuasum, non modo humanis rebus gerendis interesse Deos, sed multo etiam magis illos adfuisse rebus patrum ætate gestis; injicere eos hominum animis bona vel prava consilia, objicere pericula & discrimina, & hinc, prout affectuum ab iis profectorum indicare videbatur indoles, irasci, dolere, metuere, sperare. Ex his itaque, & supra allatis causis, accidere fere solebat, ut Philosophorum quoque opiniones & præcepta speciem narrationis factorum induerent. Ortus v. c. mundi ex chaos, per pugnam elementorum in personas & Deos commutatorum, secundum veteres, enarrabatur. Ubi arcem magnam videbant, Cyclopes illam ædificaverant:

— — *Cerno Cyclopum sacras*

Turres, labore majus humano decus,

SENECA *Thyest. Act. III. v. 407.* Non aliter ac nostra plebula magnas quascunque moles a *Gigantibus* olim fuisse extractas, nugatur. Cf. KRAFT *Om Vilde folkslags fornemste seder og indrættninger*, p. 314.

(d) Poëseos morêm, hoc respectu, pulchre depinxit BOILEAU, canens:

minus quam utili eminentes, Divino haud carere auxilio, ut omnes homines vi ingenii præstantiore præditi, credebantur. Quo minus est mirum, hos, qui soli olim posteris omnem sapientiam majorum tradebant, omnium Mythorum inprimis ferri inventores atque actores solere.

Nec dubitandum est, quin auctus inde quoque sensim Mythorum numerus sit, quod, quæ a Poëtis vel placendi vel efficacius docendi studio, figurato prolata fuerunt sermone, proprio deinde sensu a posteritate stupida sæpe accepta sunt, varieque alterata, confusa, atque etiam a felicioris ingenii hominibus (qui fabulam semel receptam magis expolirent, alia propositis inservientia de suo liberaliter adderent, & utiles doctrinas hujus ope instrumenti tradere studerent) ornata. Itaque videmus, multis Poëtarum fabulis, ubi accuratius expenduntur, eximias philoso-

A 3

phi-

Là pour nous enchanter, tout est mis en usage,
Tout prend un corps, une ame, un esprit, un visage.
Chaque vertu devient une divinité,
Minerve est la Prudence, & Venus la Beauté.
Ce n'est pas la vapeur qui produit le tonnerre,
C'est Jupiter armé pour effrayer la terre;
Une orage terrible aux yeux des matelots,
C'est Neptune en courroux, qui gourmande les flots.
Echo n'est plus un son qui dans l'air retentisse:
C'est une Nymphe en pleur qui se plaint de Narcisse.
Art Poétique, Ch. III. v. 163--172,

phicas doctrinas, atque monita vitæ humanæ utilia contineri; quare nec deinde Philosophi hanc rationem neglexerunt (e). Ac quis ignorat, veteres sub fabularum involucris etiam rerum naturam, quatenus sibi innotuerat, descripsisse? Amant nempe semper homines causas & indolem rerum, præcipue mirabilium & sensus externs maxime afficientium, perferutari. Cumque antiquissimi illi, quibus leges & phænomena naturæ minus nota adhuc essent, omnia sensuali more exponentes, ac similitudinem eorum cum aliis notioribus rebus observantes, ad harum quasi familiam illa quoque referrent; hinc omnia quæ motu gaudere spontaneo sibi videbantur, ut animabus prædita adumbrabant; unde arboribus, fontibus, fluviiis, sideribus, (imprimis soli & lunæ); vitam, ac mox divinitatem, tribuere non dubitarunt (f). Et sic porro,

Ab

(e) Platonem ea imprimis delectatum fuisse constat, apud quem non pauca allegoriarum atque fabularum præclarissima existant exempla.

(f) "La Poësie divinise toutes les différentes parties de la nature, & donne tour à tour de l'esprit aux corps & du corps aux esprits. Elle exprime les opérations & les propriétés de la matiere par les actions & les passions des puillances invisibles, que les payens supposoient conductrices de tous les mouvemens & de tous les evenemens qu'on voit dans l'univers. Les Poëtes passent subitement de l'allegorie au sens litteral, & du sens litteral à l'allegorie." *Discours sur la Mythologie par Ramsley p. XVI.*

Ab hisce igitur jam allatis tanquam principiis repetendam & deducendam esse maximam partem fabularum Mythologicarum, in aprico esse positum putamus. Cætera omnia quæ ad originem earum investigandam vulgo disputare solent saniores, quodammodo possunt ex his deduci fontibus, & pro rivis haberi, ex eadem decurrentibus scaturigine.

Deinde autem, cum partim fingendi voluptati stantes, partim imitandi studio ducti, animis mortalium innato, Plastarum, Pictorum, Statuariaque industria ideas hoc modo ortas persequeretur, ac quæ symbolico illo loquendi more phantasie contemplanda proposuerant Poëtæ, etiam oculis spectanda exhibere studerent: novum etiam huic rationi augmentum accessit. Sic Jovem, Junonem, Neptunum, Minervam, Apollinem, reliquosque Deos & Deas, ea facie eoque habitu vere gaudere, quibus ab his artificibus donabantur, vulgo tandem persuasum ferebat. Rudes homines, omnia ad sensum referentes, atque in exterior tantum rerum cortice hærentes, hinc turpis idololatriæ nutrimenta acceperunt: atque quod primum ad utilitatem mortalium, a prisceis excogitatum adhibitumque fuit patribus, in damnum suum atque dedecus infeliciter converterunt.

§. II.

Ex allatis jam colligi potest, quamvis fere nationem, suam non potuisse non sibi sensim parere Mythologiam.

logiam. Causis magna ex parte iisdem aut simili-
bus debita, hæc igitur cognationem quandam ubique,
inter gentes etiam distitissimas, ostentare reperitur, non
tam ex commercio unius gentis cum alia, quam ex
communi naturæ rudiorisque conditionis humanæ in-
dole, sæpe repetendam. Græci tamen præ cæteris
gentibus, hanc adornarunt excolueruntque rationem,
exquisitis eam fictionibus & inventis locupletarunt,
ac Systema tandem quoddam Mythologiæ concinna-
runt: quæ quamvis per corruptiones primævarum
allegoriarum varias, earumque mutilationes, com-
mixtiones, mutationes, (veris rationibus progressu
temporis sæpe intereuntibus, aliarumque interdum
fabulis gentium, domesticis illis non satis semper con-
gruis, hisce adsutis), valde turbata sit; omnium ta-
men aliorum populorum *μυθῶν* sine dubio vicit. Præ-
terea, cum operibus gentis immortalibus, quæ sine
hac cognita neque intelligi possunt, neque placere fa-
tis, late ad alias manavit gentes; quarum fabulis &
allegoriis varie etiam fuit inserta & adjuncta, ac ea-
rum & litteris & Picturæ Sculpturæque monumen-
tis ita penitus quasi inhæret, ut nullo jam pacto aboleri
atque ex iis expungi & ejici posse videatur.

§. III.

Multi tamen fuere, nec sane adhuc desunt, qui
cœco quodam zelo impulsæ, omnem hanc veterum my-
thologiam, tanquam pestiferam & cultui veri Numi-
nis

Numinis repugnantem, averfentur & damnent (g).
Quod inde præcipue fluere videtur, quod nihil ma-
gius ab illa ad placendum subsidii expectent, quod-
que nihil illam nisi monstra ac deliria, fabulas ine-
ptas non minus & absurdas, quam turpes atque fœ-
das, suppeditare existiment. Qui si cogitaverint, e-
am nihil fere aliud esse quam nomina affectuum, involu-
ta sententiarum, adumbrationes rerum, sensuali &
poëtico habitu propositas atque expressas; minori odio
hunc atque sæpe ingeniosum loquendi morem
infectentur. Sed ad sensum sub imaginibus atque
verbis hujusmodi latentem haud penetrare, in cortice
tantum hæerere, ad nucleum minime pertingere, isti vi-
dentur cacozeli, Græcumque sæpe horrere nomen,
Baudius hoc : *Βαυδίου* cui

(g) Nulli doctoribus veterum Christianorum (Patres voca-
ti solent Ecclesiæ) quibusdam, (iis imprimis qui ad fanaticam
rationem essent propiores, Montanistis faverent &c.), acerbius
illam inveci sunt; qui impium putarunt omnem Mytholo-
giæ usum: Cfr. VOSSIIUS *Instit. Poët. L. II. C. XXXIX, §. 9;*
quorum auctoritati qui nimium tribuunt, etiam hoc in argu-
mento, justos excedunt limites. Ita optimum ROLLINUM (*De
la manière d'enseigner & d'étudier les Belles Lettres, T.
I. p. 347.*) usus Mythologiæ olim a se adhibiti vehementer
pernituit: *S'il m'est arrivé, inquit, quelquefois d'emplo-
yer dans les vers le nom de quelques divinités payennes ou
profanes, dont je me repens bien maintenant &c.* — Scilicet
magis erat religioni ducendum, *Cupidinem* dixisse, quam *A-*
urum, (nisi & hoc nomine sit abstinendum!), *Æolum* quam
Ventum vehementiorem, *Themidem* quam *Iustitiam*, *Mar-*
tem, quam, *Bellum!* &c.

cui respondens Latinum haud ægre ferant! Qui periculum ex more metuunt, cujus usum ab ejusdem abusu distinguere non valent. Nihil vero, sapientioribus damni ex hac ratione prudenter adhibita, metuendum est; nostris maxime temporibus, ubi nemo sana præditus ratione, Deos illos Mythicos veras Divinitates, aut divino honore prosequendos esse putet: vocabula ipsa crassam dudum exuerunt significationem, quæ vulgum olim fefellit, nec tam nomina habentur Numinum, quam naturæ partium vel affectionum (h).

Qui igitur Poëticam istam damnant linguam, oblivisci videntur, veterum Poëtas sui temporis simul fuisse Philosophos; qui partim vitæ præcepta, partim naturæ arcana, sub talibus fabularum involucris proposuerunt; sed quibus pro more & genio sæculi, locutionibus uti necesse fuit allegoricis: quæ rite explicatæ atque intellectæ, non possunt non hodieque, hominibus quibus non omnino obtusus est pulcri sensus, vehementer placere (i).

Ve-

(h) Cfr. Vossius *Instit. Poët. L. III. C. XXI. §. 12.*

(i) — Dans une profane & riante peinture,
De n'oser de la fable employer la figure,
De chasser les Tritons de l'empire des eaux,
D'oter à Pan sa flûte, aux Parques leurs ciseaux,
D'empêcher que Charon dans la fatale barque,
Ainsi que le Berger, ne passe le Monarque;
C'est d'un scrupule vain s'allarmer sottement,
Et vouloir aux lecteurs plaire sans agrément.

Vera igitur ratio illos omnino fugere videtur, quia Mythologia de Diis agat gentilibus, ideo illam mox damnandam & rejiciendam esse arbitrentur; quæ præterquam quod adeo lingvis nostris jam est quasi in-texta, usuque trita, ut vix evelli atque proscribi ullo conatu inde possit (k), omnium fere artium cunctas ita penetravit partes, ut ad eas vel intelligendas vel exercendas, ejus cognitio prorsus evaserit necessaria.

“La Mythologie constitue la branche la plus grande de l'étude des belles lettres. On ne peut entendre parfaitement les ouvrages des Grecs & des Romains,
B 2 que

Bientôt ils défendront de peindre la prudence,
De donner à Themis ni bandeau ni balance:
De figurer aux yeux la guerre au front d'airain,
Ou le tems qui sentait une horloge à la main:
Et par-tout des discours, comme une idolatrie,
Dans leurs faux zèle, iront chasser l'allegorie.
Laissons-les s'applaudir de leur pieuse erreur;
Mais pour nous, bannissons une vaine terreur.

BOILEAU I. c. Ch. III. v. 219 — 254. Cfr. *La Politique de Voltaire* I. P. L. II. ch. IX. §. 1, 2.

(k) L'almanach est payen: nous comptons nos journées par le seul nom des Dieux que Rome avoit connus. C'est Mars & Jupiter, c'est Saturne & Venus, qui président au tems, qui font nos destinées.

VOLTAIRE.

Sic nostra vocabula *Ondedag, Thoredag, Thordön*, quis facile poterit exterminare, quamvis ab idolis majorum olim appellata? Etc.

que la haute antiquité nous a transmis, sans une profonde connoissance des Mysteres & des coutumes religieuses du Paganisme. Le role qu'elle joue dans les écrits des anciens Poëtes, & les fréquentes allusions des Poëtes modernes, l'ont presque réalisés pour nous. La Mythologie est indispensable aux Peintres, Sculpteurs, surtout aux Poëtes, & generellement à tous ceux dont l'objet est d'embellir la nature & de plaire à l'imagination. C'est la Mythologie qui fait le fonds de leurs productions & dont ils tirent leurs principaux ornemens. Elle decore nos palais, nos galleries, nos plafonds & nos jardins. - - Voila pourquoi la connoissance, du moins une connoissance superficielle de la fable, est si generale. Nos spectacles, nos pieces lyriques & dramatiques & nos poësies en tout genre, y font de perpetuelles allusions. - - Enfin elle est d'un si grand usage dans tous nos écrits, nos romans, nos brochures, & memes dans nos discours ordinaires, qu'il n'est pas possible de l'ignorer à un certain point, sans avoir à rougir de ce manque d'education" - - (1). Hinc intelligitur, & quam late pateat Mythologia, & cur, qui ad accuratam ejus cognitionem pervenire non valuerunt, illam cupide damnaverint atque contemserint. Quantum decus nostris eriperetur artibus & literis, si fabulis omnibus orbarentur

(1) Dictionnaire des Sciences &c. ou Encyclopedie, Edit de Paris, T. VI. p. 344, T. X. p. 924.

cur mythologicis! quo consilio inprimis Poëtica gravem pateretur jacturam (m). Quam rem pulcre a deo illustrat Dominus de VOLTAIRE (n), ut non possumus quin verba ejus maxime huc spectantia adponamus: - "Tous les siecles adopteront la Boëte de Pandore, au fond de laquelle se trouve la consolation du genre-humain; les deux tonneaux de Jupiter, qui versent sans cesse le bien & le mal; la Nue embrassée par Ixion, embleme & chatiment d'un ambitieux; & la mort de Narcisse, qui est la punition de l'amour propre. Ya-t'il rien de plus sublime que Minerve, la divinité de la sagesse, formée dans la tête du Maitre des Dieux? Ya-t'il rien de plus vrai & de plus agreable, que la Deesse de la beauté, obligée de n'être jamais sans les Graces? Les Deesses des arts, toutes filles de Memoire, ne nous avertissent elles pas, aussi bien que Locke, que nous ne pouvons, sans memoire, avoir le moindre jugement, la moindre étincelle d'esprit? - Les fleches de l'Amour, son bandeau, son enfance, Flore caressée par Zephir &c. ne sont-ils pas les emblemes sensibles de la nature entiere? - - " Universe, modo placeat Poëta & delectet, modo consilio suo respondere ejusmodi audaciam videat; quid eum

B 3

(m) Vid. BOILEAU l. c. Cb. III. v. 237, 238, 281 seq. Cfr. Description des principales pierres gravées du Cabinet de S. A. S. Mfr. le Duc d'Orleans, T. 1. p. 13.

(n) POËTIQUE l. c. VI. p. 55.

eum vetet interdum ad Mythicam hominum vitam propius, sed prudenter, accedere, & talem rerum ordinem, modum & situm exhibere, qui, nisi in luxurianti hominum phantasia non exstitit? ea modo cautione adhibita, ut ne repugnantia fingat, nec ad praesentem vitae consuetudinem nullo modo apta cum nostrorum temporum rebus depingendis temere conjungat. Adeo igitur ingeniosissimi prudentissimique vatum recentiorum, ab antiquis scite adhibendis fabulis non abhorruerunt, ut nec alijs etiam usurpandas easdem commendare dubitaverint (o).

Sed fatemur, usum hujus rationis hodiernum duplicem omnino obvenire; sapientem alterum atque modicum, alterum & absurdum & idololatriæ cujusdam culpa non omnino carentem. Huc illorum e. g. referimus stultitiam, qui jurisjurandi formulas per falsos Deos olim conceptas, usurpare non verentur; (jurantes per Jovem divum, sanctissimum &c). Neque licebit Poëtæ, Christianæ religionis scita carmine celebranti, gentium Poëtarum vestigijs nimis insistere, aut in re sacra vel Apollinem ac Musas invocare, vel Mythologiæ Græcæ alias ideas immiscere, Deosque adhibere ethnicos, quamvis mere etiam allegoricos, sed accessorijs tamen notionibus parum sanctis inquinatos; in quo egregios cæterum Poëtas peccasse, constat (p).

Igitur

(o) Cfr. *Apologie de la Fable* (Oeuvres de VOLTAIRE T. XII.) p. 156.

(p) Ce n'est pas que j'approuve, en un sujet Chrétien, Un Auteur follement Idolatre & payen. Et fabuleux Chrétiens, n'allons point dans nos songes,

Igitur Epici quoque vates recentiorum temporum faniores, hanc rationem sibi prorsus esse deserendam viderunt, (quæ ad integrum fulciendum poëma Heroicum, Christianis lectoribus non potest non videri & indigna & absurda); atque vel Numen igitur Summum Angelosque quasi in scenam adducere ausi sunt, vel de Magorum potentia barbari ævi superstitionem adoptare, vel meris naturis allegoricis divinas partes tribuere, coacti fuerunt. De quorum hoc consilio nihil nunc judicamus. Ex dictis patet, nonnisi in argumentis a religioso genere remotioribus, (non jocosis modo sed etiam severioribus), Lyricis, Pastoralibus &c. commode Mythologiam veterum adhiberi; inprimis ubi parcius, atque accessorii cujusdam ornamentiloco hoc fit. Ubi tamen cavendum, ne partes eas, quæ vel minus honestæ, vel obscurioris jam generis, parum cognitæ, ac idololatriæ ineptiis propius cognatæ sunt, sed eas maxime quæ allegorias illustres & ingeniosas continent, frequentemus. In quibus sumendis simul diligenter tenendum, ut in *veritatem Mythologicam*, sive ideas a Poëtis priscis receptas atque stabilitas, non impingamus, aliosve mores, munera &c. personis Mythologicis tribuamus, quam quibus & fictionis constantia & communis usus, donari easdem permittat (q).

Quan-

Du Dieu de vérité, faire un Dieu de Mensonges.

BOULEAU I. c. Ch. III. v. 217 -- 218, 235, & 236.

(q) Itaque absurde Poëta Svecanus, cujus stultitiam merito re-

Quantumvis cæterum varie hac ratione uti liceat; semper tamen studendum est, ut ea potissimum via inæatur, qua maxima voluptas legentibus afferri possit; qua neglecta cautione, facile aut nimis trita identidem re-coquendo, fastidium lectoribus creari potest, aut affectatione peregrinæ eruditionis carmina reddi obscura, tædiosa & putida.

Qua vero prudentia, ac qua diligentia, in fictionibus his Mythicis adhibendis versandum sit, facilius & accuratius exemplis egregiis imitandis, quam præceptis consulendis discere licet. Aliarum laude virtutum poëticarum qui excellunt vates, etiam hanc rationem optime demonstrant. Qui docent, neque frequenter nimis, neque temere ac sine delectu, hujusmodi ornamenta esse congerenda: qua culpa Poëtæ nostrates superioris ætatis, qui vel Latina vel Vernacula lingua cecinerunt, plerique haud vacant; poëtastri vero intolerando plane modo olim apud nos sese contaminarunt.

prehendit SAHLSTEDT (Om Tankar i Bitterh. Arb. T. I. p. 59) Deæ Fortune unguis & indolem felis tribuit, canens:

Min lycka har med mig rätt ofta således lekt,
 Och alltid slagit värst, sen hon som måst mig smekt.
 När hon mig tygga låts, så har hon alltid bitit,
 Och när hon råkt mig hand, så har hon flöjt och stitit.

Traged. *Cleopatra*

Non minus stulte, ac cum aliis nominat: Gudinnan Phœbus, alius dicit: Odds-Gudinnerna hafva skurit af nöjets gulltråd, och Clotto gifvit en tung med blå bevesfrad slända; qualia, crassam ignorantiam Auctorum prudentia, merito contemptum & risum movent. SAHLSTEDT l. c. p. 56 Cfr. *Voss. Inst. Poët. L. I. C. III. §. 2.*

ANIMADVERSIONES
 DE
 USU MYTHOLGIÆ
 HODIERNØ;

QUARUM
 PARTEM POSTERIOREM,

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS.
 IN REG. ACAD. ABOËNSI,

PRÆSIDE

M. HENRICO GABRIELE
 PORTHAN,

ELOQUENT. PROF. REG. ET ORD. R. ACAD. LITT. HUM,
 HIST. ET ANTIQUITT. MEMBRO,

PRO GRADU

Publice Examinandam Sistit

JACOBUS LINDEBÄCK,

OSTROBOTNIENSIS,

IN AUDITORIO MAJORI die X JULII
 AN. MDCCLXXXIX.

H. A. M. C.

ABOË Typis FRENCKELLIANIS.



§. IV.

Usum vero Mythologiæ sanum, commodum sobri-
umque demonstrare aptius vix queas, quam si
abulum ejusdem vulgarem prius consideraveris; cu-
jus incommoda, ad verum ostendendum commendan-
dumque usum, non parum profunt, exemplis melius
etiam quam regulis & legibus veram rei rationem
docentibus atque confirmantibus. Antequam itaque
ulterius progredimur, utile fuerit quædam Mytholo-
giæ, minus sapienter adhibitæ, iisque quæ proxime
superiore dedimus §. præceptis contraria, e nostra-
tibus inprimis desumpta Poëtis, addere exempla.

Poëticæ elegantix qui exquisitiori asseverunt
gustui, nævos haud dubie plurimos in carminibus ho-
minum, qui Suecica olim cecinerunt lingua, pleris-
que offendent. Præter eos, qui ad nostrum nunc
non pertinent institutum, quosque vitia haud pauca,
nondum satis polito patriæ sermone, cavere ægre
potuisse, meminisse nosmet oportet; damnanda est Deo-
rum Dearumque gentilium, non modo injecta frequen-
tior quam res vel poscat vel permittat mentio, sed

C

&

& veterum rationi exemplisque repugnantes plane eorum vel habitus vel mores (a); qua in re, quomodo nostri peccaverint, ex paucis speciminis loco adducendis, luculenter patebit speciminibus.

Stjernhielmium (nostræ gloriam primam lyræ), in cuius quidem carminibus non temere probanda omnia, sed cuius tamen conatus haud sunt contemnendi, in ejusmodi incidisse inconsiderantiam mireris. Sic inducit ille alicubi Martem ita loquentem:

Swad är emot min magt hin andres fattige Gudars,
 Nagre bestånd? (b).

Non decet autem Deos egenos miserosve concipere!

Præter quædam Reginæ Christinæ a Poëta nostro dicata carmina, quæ hilare & jocofum auctoris lo-

(a) Veteres Græci Romanique hac de re maxime confuendi & sequendi:

Entre ces deux excès la route est difficile,
 Suivez, pour la trouver, & Homere & Virgile;
 Que leurs doctes écrits, par les Graces dictés
 Ne quittent point vos mains, jour & nuit feuilletés.

BOILEAU *Art. Poët. Ch. II. v. 25.* seq.

Chr. BOUHOURS *Maniere de bien penser dans les ouvrages d'esprit*, 2 & 3 *Dial.* SAHLSTEDT *Om tankar i Wits och weto Arbeten* p. 25 seq.

(b) *Freds Åst*, Ballet, I *Intr.* v. 5. följ. Vide Ejusdem *Muse Svecizantes*.

loquuntur ingenium, in cæteris (Herculem si excipias) sæpe minus concinne fabulis Mythicis ludit. Exempli loco sufficiat nominasse Poëma heroicum quod inscribitur: *Heroisk sågnesång öfwer Drottning Christina's födelse dag* (c); ubi in carmine brevi, Auroram, Phosphorum, Phœbum, Horas (quas *fyra solens tjenste* *Wæder* vocat) Junonem, Minervam, Svadam, Charites, Venerem, Dianam, Æolum, Zephyrum, Nymphas, inducit (d).

Nullus autem Poëtarum nostrorum superiori qui claruerunt seculo, adeo temere in Mythicam peccat veritatem & rationem ac *Lucidor* (*Lasse Johanson*), qui in epithalamiis & epicediis suis ubique ea procaeter abutitur. Quis v. c. tulerit in Deorum quod finxit convivio, Saturnum dormientem pedesque jactantem, Venerem fatuæ in modum sese gerentem, Martem (agrestis instar militis gregarii) sibilantem,

C 2

Vul-

(c) A. 1645 l. c.

(d) Puerilius adhuc celebratus nostris quondam *ELDH*, in *Epith. in nupt. Job. Norrii & Ebba Skunk* (*Myrten & Cypresser* *Holmiæ* 1725, p. 1, 2.), *Famam*, *Jovem*, *Clotbo*, *Hymenem*, *Junonem*, *Tbor*, *Æolum*, *Æsculapium*, *Apollinem*, *Auroram*, *Bacchum*, *Cererem*, *Comum*, *Cupidinem*, *Dianam*, *Erin*, *Floram*, *Ganymedem*, *Herculem*, *Leucotboën*, *Mercurium*, *Neptunum*, *Oceanum*, *Palladem*, *Rbeam*, *Saturnum*, *Themidem*, *Venerem*, in unum breve carmen insercit, & in ridiculis versatur aucupiiis, quibus præclari etjam sensus franguntur & enervantur.

Vulcanum denique Tabaci fumum haurientem (e)?
Sed ipsum audiamus:

Jupiter satt på en stool,
Handen stödd, han på et bool,
Och satt rätt i djupa tankar,
Svar han skulle kasta ankare;
Swaan, hamn, gulregn of bli. too
Them will han ej mera tro.
Juno satt liksom på watt,
Gaf med svartfult öga aft.
Men Saturn han söf och starka
Si at alt i salen knarka.
Venus sälas lik et rok.
- - - Mars had nästan ingen syfla
Utän geck för sej och myfla,
Men Vulcanus söp Tobak &c.

Neque alias rationem habuit decori, v. c. in his:

- - Thet stora koppar bärge, I wet thet är i Swerge,
Dit fick lill Astrild lust at dra och wille si
Om han ej tjente wäl en grufwedrång at bli.
Han hade hört at thet then Swenska Venus födes (*)
Swar timma dag och stund, och modren aldrig ödes.
.. then

(e) *Helicon's Blomster* Stockh. 1688. *Astrilds Skallgång*
epithal. in nupt. *Job, Utterklow & Ingridis Boij, à Silva-*
no, Holmia 1672 celebr.

(*) *Lusus puerilis, e communi signo planetæ Veneris*
& *Cupri, ductus!*

- - Thet stackars Astrild föll framstupa helt dit in,
of brädden skrapat af hans näsa hud och skin.

Incidit sc. Cupido in antliam suctoriam!

Då kosta det först på, han pumpad, innan fort
(Så talt han för sig sjelf) lär thet här blifwa tortt (f).

De Baccho autem canit:

Han stunkar mycket swårt, i thet som han framtrypet
de källarhalsen; siju hur han af swetten dryper (g).

Neque licebit Poëtæ Christiano, Numina genti-
lia veri absurde admiscere Dei consiliis atque factis,
quod tamen factum a Poëta nostro invenimus; v. g.
in epith. in nupt. E. *Tehedt A. & Hane*, ubi Cupidinem
(Astrild), *Friggam*, *Cererem*, hymnos in veri Numinis
audem inducit canentes, atque omnigenam matri-
monium ineuntibus adprecari ab illo felicitatem (h).
Hæc & plura quæ afferri non merentur, minime il-
la

C 3

(f) *Astrilds Grufwegång*, Epith. in nupt. *Job. Trotsig*
& *Margar. Funck*. l. c.

(g) *Gäst. buds lust*, epith. in nupt. *J. Giliusson &*
Marg. Svaab l. c. Deinde in epith. *Strikii & Ribbing* (quod
in scrib. *Apollo's Dom* mellan *Themis* och *Frigga*, cum om-
nibus fere Diis & Deabus ridicule ludit. (quid de tali consi-
lio censendum, vid. *BOUVOUS* l. c. dial. 3. p. 272.

(h) l. c. ita *Astrild*: O milde Himmel hör vår bön &c.
Frigga: Bättna thetas hus - Gud lär tit nådes ljus &c.
Ceres: Gif til bägge thetas fromma, &c.
Oborus: ... O Högste Gud bönhöre &c. Cfr. *BOUVOUS* l. c. I.
Dial. p. 60. *BOULEAU* l. c. ch. III. v. 255, 256.

la probanda, excusari aliter non possunt, quam si non tantum incultam ejus ævo patriam jacuisse poësin, sed Poëtam etjam, fere omnia sua ex tempore, sæpeque inter pocula scripsisse carmina, meminerimus (i).

Videntur præterea nostri in talibus fabulis adhibendis laudabile putasse, non simpliciter sensa animi exprimere, sed obscuritatem interdum quandam, velut hæc leve eruditionis documentum simul inferre. Ita ipse STIERNHJELM:

Phœbus har sin wagn med de gullglimrande pigor
Wändt sin tngel i krook från Barden och forlade
blåman (k).

Ac EURELIUS (DAHLSTIERNA) qui in hoc genere eminet, neminem egregios posse pangere versus dicit nisi fuerit

En fullkommen Pindus-swan
Som länge varit nård af Phœbi sockerknippe (l).

Qua-

(i) Cfr. LIDÉN *Historiola Poëtar. Svec.* P. II, p. 35 sq.

(k) Bröllops beswärs ihogkommelse, *Act. Litt. Svec.* 1721. p. 191.

(l) *Kunga Skald (Epiced. Reg. Carol. XI. 1697), CARLESONS Skaldeslokar, 1. Skaldess. 2. Afd. Vid. it. GEISLER: Öfwer Högsf. R. Carl. XII södelse dag, l. c. 2. Skaldess. 1. Afd.*

Qualia *Lucidor* multa exhibet (m) æque ac *RURIUS* (n).

Sed diutius his immorari vetat ratio propositi. Plus satis forsam jam adduximus; ac sufficiant hæc ad tirones commonendos, ut ab ejusmodi fuco, ubi Mythicas adhibere voluerint fictitious, abstineant, ne naufragam & rillum prudentioribus moveant (o).

§. V.

Visum autem fuit nonnullis, puritati linguæ & elegantię repugnare, nomina Mythologica vernaculis

(m) l. c. Vide *Måtare Nymphers chor, Anhang til Hellicons blomster; Astrilds befallningsbref, Ejusdem Lejonsångar, Fru Fröjas jagt &c.*

(n) *Dudaim* II D. p. 64.

Fäst Mars och Mors i nerden rasar,
Dock Astrild ej för Neptun sasar,
Men stårar hey en silfverkrans,
Då Venus sielf går med i dans.
- - No both nu Astrild kom til lands
At slåta Ankar i en Krans &c.

Cfr. *BOUHOURS* l. c. 4 dial. p. 367, 385 seq.

(o) Verus in his, ut aliis, pulcri sensus, præclaris legendis poëtis optime paritur; regulas non opus est multas accumulare: "Les regles ne sont que quelques observations allées, que le bon sens a faites sur ce qui peut oter le plaisir, que l'on prend à ces sortes de Poëmes. Je voudrois sçavoir, si la grande regle de toutes les regles n'est pas de plaire --" *MOLIERE*.

lis admiscere carminibus e Græcis ac Latinis mutata; qui eam ob rem repudianda hæc esse, atque potius Septentrionalium veterum adoptandam frequentandamque esse Mythologiam, utpote gentis etiam conditioni moribusque convenientiorem, judicant (p). Ac fateri oportet, peregrinitatem quandam utique ex fabulosis adhibitis Græcorum Deorum nominibus in nostro nasci sermone, qua linguæ hodiernæ illæ quæ matrem agnoscunt Latinam, minus offenduntur; quin istam rationem aliquando sententiarum & figurarum contexendarum non levem parere difficultatem. Sed eo tamen usque urgenda hæc incommoda non putamus, ut nostris elegantiores multo concinnioresque Græcæ & Romanæ Mythologiæ fabulas, e poësi nostra omnino relegandas esse existimemus. Minime quidem eorum improbamus consilium, qui ex Mythologia potius vetere Scandinavica & Islandica mutuati sunt

(p) Agit illam causam imprimis ingeniose atque præclare, (an serio?) laudatissimus Poëta, qui inter alia, canit:

Hvad svaghet förde dig, du yngre Skalders tropp!
Då du dit offers eld för Latiens gudar tände?
Hvad? Odens ättlingar ej blygts at resa opp,
De glömda altaren som dödas fäder brände!

Nej hören Afars guda ätt
I digterna Er röft begära;
Sen sanning njutit all sin rätt
As höja Eder sång til Basa stammens ära.

Ode til Swonska Folket p. 15.

sunt nomina Græcorum illis Romanorumque manifeste respondentia, ut sunt *Æge* pro *Neptuno*, *Fröja* pro *Venere*, *Astrild* pro *Cupidine*, *Brage* pro *Apolline*, *Vornorna* pro *Parcis*, *Thor* pro *Jove* &c. (q). Simili consilio Romani olim recte sua nomina Græcis substituerunt. Sic *Venus* non *Αφροδιτη*, *Mars* non *Αρης*, *Vulcanus* non *Ηφαισος*, *Neptunus* non *Ποσειδων*, *Juno* non *Ηρα* &c. in illorum scriptis celebrantur. Sic observarunt viri eruditi, ex *Hetrusca Mythologia* multas fabulas Romanos adscivisse, atque cum Græcorum illis conjunxisse (r). Quos imitari nostris non est facilius, quo certius est, ut *Etrusca* olim sive *vetus illa Romana* ortum e *Græcia* (per *Pelasgos* in *Italiam* transeuntes) habuit, ita *Mythologiam veterem* *Islandicam Latinorum Græcorumque etiam deperiri* imitationi, quam in multis manifeste prodit, quicquid dicant *patridomanicæ* nimis indulgentes alii, qui vel antiquissimam totamque domesticam esse nostram, vel

D

præ-

(q) Summi hoc fecerunt Vates VON DALIN, NORDENFUCHT, GYLLENBORG (Såget öfver Båst).

(r) Non negamus tamen, Romanorum Mythologiam nominatimque Deorum Latina, etiam illa olim ex Græcia antiquitate fuisse adducta, adeoque non ægre cum recentioribus Græciæ fabulis coaluisse. Recte Cel. HEYNE: "Omnino Romanorum regiones antiquæ & patriæ distæ fere nullæ aliæ sunt, quam quas a Pelasgis acceptas vetus Italia retinuit". De fab. Relig. Græc. ab Etrusca arte frequentat. (Vid. Nov. Comment. Reg. Scient. Societ. Gotting. T. III. p. 30 seq.).

præstantia Græcam Romanamque superare, autumant (s). Multi qui hanc illustrare instituerunt rem, aut præjudiciis obrepti verum videre noluerunt, aut ab Historiæ antiquæ interiori cognitione non satis parati, iisque opibus minus instructi fuerunt, quas diligens lectio, criticaque prisca Mytheriarum collatio comparare iis debuit; hinc sententias in quas inciderrunt, eo detorquere studuerunt maxime, quo jam ante opinio animi concepta ejusque tuendæ & propugnandæ consilium impelleret. Quamquam autem non diffitemur, Scandinavios, jam ante tempora quibus ab aliis litteras artesque varias adsciverunt gentibus, suam qualemcunque domesticam & originariam habuisse Mythologiam; attamen totam illam quantam, nullis e rivulis Græcorum vel Romanorum dirivatam, a Scandico tantum fonte totam manasse, neque per se probabile videtur, neque si historiam consulimus, magnam habere speciem veritatis existimamus.

§. VI.

Minime negamus, quod & ad ipsam rerum rationem & aliorum barbarorum morem comparatum est

(s) Antiquitatem & gentis nostræ & Mythologiæ, omnia qua potuit vi ingenii, demonstrare studuit RUBBECKIUS *Atlant. T. I. c. 18, 20, 23 &c.*; cui in multis concinit Generof. von DALIN *Svea Rikes Hist. T. I. Cap. 2. p. 23. sq. Cfr. l. c. Cap. 8. p. 230.* Parum autem iudicibus a partium studio alienis esse satisfactum, merito credimus.

est (t), atque a viris Generof. DALINO (u) & imprimis SUHMIO (v) diligenter expositum, veteres Scandiæ incolæ, prisco jam tempore, Numina sua habuisse; illorum autem quædam officia atque nomina, non nisi seriùs, nec una de causa adjecta fuisse, verisimile videtur. Quin illatas postea peregrinarum religionum (imprimis Græcæ & Romanæ) ideas non paucas, & cum patriis compositas commixtasque fuisse superstitionibus, quæ hinc mutationem, ad illarum modum conformatam expertæ sunt, ex utriusque generis comparatione patescere putamus.

Haud quidem negamus, quosdam hanc similitudinem superstitionum Græcarum Romanarumque cum Septentrionalibus, nimis præcipitanter, interdum ultra justos limites extendisse; inde vero non sequitur, totam esse ut temere confictam rejiciendam. Quamvis enim minime contendamus, nostros immediate a Græcis vel Romanis suas hausisse fabulas; si tamen fontes Mythologiæ Scandinavicæ, quo habitu ad nos

D 2

pro-

(t) Vid. *L'homme pensant*, par LEVESQUE, Part. I. Ch. VIII, IX. & X; BANIÈRE l. c. T. I. 2^e Buch. p. 145 seq. & KRAFT l. c. 3^e Absch. §. 1—10.

(u) l. c. T. I. C. 3. p. 60; *ibid.* C. 5. p. 119. LAGERBING *Svea Rikes Hist. I. D. C. 14, §. 15, 16; C. 15, §. 1. — 8.*

(v) *Om Odin og den hedniste Gudelære og Guds-geneseste udi Norden I, II, III Bog.*

propagata est, atque fontes unde ejus cognitionem jam habemus, curatius velimus considerare, facile videbimus, quam multis ex Græca Romanaque adscitis sive aucta sive mutata sit ideis atque fictionibus Qui vel *Eddas* vel *Historias* (aut *Fabulas*) Islandorum condiderunt auctores; cognitione Mythologiæ Romanæ haud erant plane destituti ex qua itaque, ut & Religionis Christianæ scitis, varie deformatis mythicoque habitu indutis, multa, vel studio vel opinionis errore seducti, obscuris illis confusisque veterum traditionibus atque commentis immiscuerunt (x). Quumque Angli & Hiberni, (e quorum fontibus, utpote Magistrorum suorum, primis Christianismi in Septentrionem introducti temporibus, præcipuorum, nostros multa in suos hortulos derivasse, negare nequit (y)), e commercio Romanorum per tot secula Britannis dominantium non potuerint non familiaritatem hinc quandam cum illorum & litteris & Mythologia sibi acquirere; facile

(x) Expendantur quæ habet *Edda*, Cap. 3 de Creatione, *Myth.* 2 & 3 de *Otbino* (Cfr. DALIN l. c. p. 121 — 123); *Myth.* 6 de Diluvio; *Myth.* 7 de Asgardo & Troja.

(y) Nostros itinera fecisse litteraria in Hiberniam, Angliam, Coloniam, &c. notum est. Inter alios, etiam *Sæmundum Sigfussön*, auctorem veteris *Eddæ*, (A. O. 1114, ut traditur, collectæ) Academiis frequentasse Germanicas, Italicas &c. atque per tres fere annos litteris Colonix ad Mænum operam navasse, colligere licet e Nob. DALIN l. c. p. 118, 119; cui etiam assentit J. P. RESENIUS in præfat. ad *Eddam*.

le patet, quam largam hæc res nostris pareret occasionem, easdem cognoscendi (z). Quarum itaque cognitionum vestigia, lectorem monumentorum Septentrionis Mythicorum acutum atque studio partium non occæcatum, fugere ægre queunt (a). Ac difficile nobis jam est ubique statuere, quænam partes mythologiæ, quam nobis Islandi exhibent, genuinis veterum Scandinavorum traditionibus, quænam recentioribus earum quasi interpolationibus, adscribi debeant? Mihi quidem, cui singulis diligentius inhærere jam non conceditur, e numerosa cohorte, quædam

D 3 tan-

(z) -- "Ex terris septentrionalibus cum jam diutius Angliæ provinciæ peterentur, plurimi etiam ex istis oriundi in illis sedes collocassent: fieri non potuit, quin, ex moribus consuetudinibusque gentis, varia iisdem inhærent --" MURRAY (Nov. Comment. S. R. S. Gott. T. IV.) *Antiquit. Sept. & Britt. inter se comparata*, Comm. I. §. XI. p. 116. Britannos autem ex quo sub Romanis esse ceperunt tempore, veterem sensim barbariem exuisse, & ad gentis victricis se composuisse mores, fuse docet MURRAY de *Britannia atque Hibernia seculis VI ad X litterar. domicilio* l. c. T. II. Unde hæc apponimus verba: *Hortatus est* (Julius Agricola) *eos* (Britannos) *privatim, adjuvit publice, ut templa, fora, domus æstruerent.* P. 77. Immo carmina Poëtarum Romanorum in ipsa Britannia cantari fama fuit: *Dicitur & nostros cantare Britannia versus.*

MART. EPIG. L. XI, 3.

(a) Cfr. quæ doctè disputat JO. PHIL. MURRAY, *Antiquit. Septentrionalis & Britannica atque Hibernica inter*

tantum exempla, dictorum confirmandorum causa, quasi per lancem saturam attulisse satis erit:

Sic apud Græcos & Romanos *Parca* fuerunt præcipue tres (Cfr. HESIODUS *Θεογον.* v. 216.) fatorum seriem dirigentes, quarum *Atropos* de præterito, *Clotko* de præsentis, *Lachesis* autem de futuro disponebat (*). Similiter in *Edda* *Nornir* (*Nornorna*) sunt tres (b) quarum *Urði* præteriti, *Verandi* præsentis, & *Skulda* futuri curam gerebat. Quæ quia fata dirigebant, hinc *Nornaskap* significavit fatum.

Ut *Jupiter* apud Græcos Romanosque pater fuit Deorum & hominum, filius Saturni & Rheæ, fulminis dominus &c. ita *Thor* vel *Odini* vel *Coeli*, & *Terræ* filius, aëri imperavit, fulminaque apud Scandianos jaculatus est: comparentur BANIER l. c. T. 3. l. B. l. Cap. 22 seq. & *Edda* myth. 7, 19, 36, 38, 55; cfr. etiam DALIN l. c. p. 132, & OVIDIUS *Metam.* l. 8. f. 7. 8. 9. It. MURRAY l. c. §. 5, p. 96 sq.

Frig-

se comparata, Comment. Prima §. II & III (Novi Commentarii Societ. Regiæ Scientiar. Gottingen. T. IV. Comment. Hist. & Philof. p. 91. seqq.

(*) Apud alios paullo aliter, ut audit vulgatum illud: *Clotko solum retinet, Lachesis net & Atropos occat.*

(b) *Edda* Edit. Resenii, myth. 15. Cfr. BANIER l. c. l. IV. v. B. XIV Cap. p. 122 seq.

Frigga *Odini* uxor, moribus *Junoni* *Jovis* uxori non abfimilis fuisse, legitur; (Vid. SUHM l. c. 3 B 2C.2 §. p. 253). *Ægir* ut *Neptunus*, maris Deus habebatur, filiabus novem tanquam *Nymphis* stipatus, *Unda*, *Flumine* &c. (*Edda* Myth. 50, 58). *Njord*, ut *Æolus* ventis tempestatique (hinc etiam mari) præsidebat, (*Edda* Myth. 21 50); cujus filia, e sorore suscepta, erat *Freyja*, quæ ut *Venus* (e mari illa etiam genita) Dea fuit amoris, curru quidem *Veneris* more vecta, sed quem apud agrestes nostros majores non *Columbæ*, verum *Feles* trahebant. Maritum suum *Odur* peregre profectum lacrimis lamentisque (ut *Adonidem* mortuum *Venus*) prosequabatur. *Nympharum* comitatu erat stipata; quales erant filia suæ *Hnos* & *Gersemi*, præterea *Sjofn* inimicos etiam amore conjungere valens, *Snotra* ingenii & morum venustate eximia &c. (*Edda* Myth. 22, 30, 36, 43, 50, 55, 58; SUHM l. c. §. V. p. 258 sqq. §. XVI sqq. p. 270 sq.). *Brage*, ut *Apollo*, Deus erat sapientiæ, Eloquentiæ & Poëseos, (*Edda* Myth. 24), in cujus lingua *Runæ* erant insculptæ, &c. Sed jam satis exemplorum adduximus; ex quibus cognationem fabularum Septentrionalium cum Græcis Romanisque non obscure apparere, existimamus.

§. VII.

Solam vero Mythologiam Scandinavicam, qualis jam, his aucta opibus atque qualitercunque comta & orna-

ornata habetur, Poëtarum tamen usibus haud suffice-
re, nec Græcæ illius Romanæque laudem ullo modo
attingere, neque huic igitur explosæ substitui com-
mode posse, facile patet. Valde nempe illa, cum
hac comparata, manca est atque rudis, (qualis esse
solet in omnium populorum incunabulis & in prima
ingeniorum ad artem applicatione), atque elegantio-
ri cultu destitutam fabulandi licentiam arguit. Mul-
ta minus concinne ficta, multa inurbana offendas (°).
Quod neque aliter esse potuit. Quæ nostrorum bar-
baries cultum Græcum si respicias! quanta pauper-
tas, quantus squalor! Carebant litteris, carebant ar-
tibus, quibus per tot secula illi admirando plane suc-
cessu litaverant. Quanta igitur v. g. differentia inter
Græcorum *Venerem* cernitur, curru sedentem exi-
mio, junctis vectam columbis, Zona illa Divina cin-
ctam, Gratiis amoreque comitatam, & nostram *Frey-
am*, quæ (docente Edda) *Er hun fer, tha ekur hun Röt-
tum tveimur, og sittur i reid!* Qualia plura compa-
rando colligere liceret, nisi tempus festinare nos ad
finem juberet. Ipsa nomina quam dura pleraque,
quam horrida, si cum dulci Græcorum sono contendas!
quorum quædam elegantissimi commendata Poetæ in-
ge-

(°) De afbildade skindom sine Gudar sädane, at wære
bönder skulle blygas at härma dem, och ingen ärlig Fader skul-
le wisja leda sin dotter i deras Gudinnors forspär. VON DA-
LÉN I. C. 5. p. 116; it. p. 162.

genio & modis, aures vix ferant (°). Picturæ au-
tem ac sculpturæ, quarum præstantissimis operibus
Græca Mythologia tota quasi penitus inhæret, quomodo
Septentrionales illos Mythos, (plane illis peregrinos),
conciliabimus? aut num Poëseos ab artibus his, non
minus quam a summorum cultissimorumque vatum
monumentis, discidium suadebimus, suam quasi cuique
Mythologiam, multiplicato ingenii onere imposito,
attribuemus? — Sed subsistere hic cogimur.

(°) Vid. Ode til Swenska Solfet, p. 16, 17, 18. Qui
suo tamen exemplo docuit, ex istarum etiam rudium sane fa-
bularum contextu, licere tamen hominibus ingenioſis in suos
usus haud pauca convertere, imprimis ubi paullatim exultis,
comta ornataque prudenter fuerint: quod in minus cognito at-
que celebrato hætenus systemate, ut Græcis olim licuit, ita
nostris quoque liberius audere licebit.

